

Estratti del Testamento del card. Angelo Capranica BAV Vat. Lat. 7191 ff. 34-41

5 **1. Declaratio Stephani Macharani de fideliter copiando ex originali (fol. 34)**
(fol. 34) ex Archivo Incoronatorum Justorum J. III pag. 568

In nomine Domini amen. Hoc est quoddam sumptum, transumptum sive exemplum cuiusdam Justorum dispositionis factae per Rmum quondam dominum Angelum cardinalem Capranicensem ac Bullae Sisti papae III concessae ad favorem dicti Rmi Cardinalis et familiae suae Capranicensis, 10 rogati per quem D. Johannem de Signorilibus, notarium publicum iam defunctum, repertum in Archivio Capitolino inter scripturas et protocolla instrumentorum eiusdem, sumptum et exemplatum per me Stephanum Macharanum, archivistam populi Romani, ex originali protocollo 15 instrumentorum dicti quondam domini Johannis de Signorilibus, nil per me addito vel diminuto quod substantiam mutet aut variet intellectum, nisi forsán litera vel sillaba, que substantiam mutare aut intellectum variare non habent, cuius quidem instrumenti vel Bullae tenor sequitur et est talis ut infra videlicet:

2. Bolla di Sisto IV diei 20.6.1478 (fol. 34 – 38)

(BULLA) Indictione XI, mensis Junii, die XX, MCCCLXXVIII, in presentia mei notarii, constitutus personaliter coram me notario et testibus infrascriptis, Rmus in Xto Patre et D. Dominus Angelus de Capranica S.R.E. Cardinalis tituli S. Crucis in Hierusalem de Vrbe et praesentavit quamdam apostolicam bullam cum plumbo pendentem in corda sirica diversi coloris in quo sculpta erant ab una parte capita BB. Petri et Pauli apostolorum cum certis litteris desuper, ab altera vero parte Sistus papa IIII cum certa cruce desuper non abolita nec rasa uel in aliqua eius parte vitiata et omni prorsus vitio et suspicione carentem tenoris et continentie subsequentis, videlicet:

Sistus, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Angelo, episcopo Prenestino, salutem et apostolicam ben(edictionem). Romanus Pontifex Jesu Christi, qui auctor est pietatis in terris, vicarius nonnunquam piis christifidlium voluntates alterat et immutat prout rationabilibus suadentibus causis in Domino conspicit salubriter expedite. Sane sicut accepimus bo. me. Dominicus Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbiterus Cardinalis condens de bonis suis in eius ultima voluntate testamentum inter alia voluit quod, in quibusdam domibus suis (fol. 35) quos ipse testator tunc inhabitabat sibi, Romae in regione Columnae, in platea S. Marie in Aquiro, ordinaretur et esset perpetuo tunc futuris temporibus unum collegium tunc scholarium iuxta tenorem quarumdam constitutionum, quas pro eiusdem collegii constitutione, ordinatione et conservatione ediderat; in quo collegio esse et recipi deberent tot personae quot ex illius fructibus ibidem possent sustentari; et si contingeret ordinationem dicti collegii ex aliqua causa differri quod fructus domorum et casalium dicto collegio per eum relictorum conservanti convergendos in utilitatem illius per guardianos hospitalis imaginis Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Vrbe pro tempore existentes, et illis negligentibus per dilectos filios S. mariae Maioris, et si id non facerent per Lateranensem ecclesiam et ob negligentiam eorumdem per Basilicam principis apostolorum de Vrbe capitula successive. Et in eventum quod omnes praedicti in ordinatione dicti collegii essent negligentes iussit domos et casalia praedicta ad hospitale praedictum devenire. Tibi quoad viveres et b. m. Nicolao, episcopo Firmano, tunc Sedis Apostolicae notario usque quo eum ad aliam dignitatem promoveri contingeret in eisdem domibus quas inhabitabat et in quibus collegium praedictorum ordinari mandabat, usu et habitatione relictis, teque herede universali instituto et praefatis guardianis executoribus et nonnullis S.R.E. cardinalibus tunc expressis defensoribus desuper deputatis, prout in dicto testamento dicitur contineri. Tuque postmodum dicto Dominico cardinali defuncto vita provide considerans quod officinae domorum praedictarum, in quibus testator ipse collegium huiusmodi ordinandi et illius personas permanere voluerat, iuxta ritum, modum et formam domorum **collegiorum similiu** ordinatae non erant nec

65 facile et sine magna ac inutili plurima impensa propter earum ad id in
dispositione reformari et reduci commode nequibant, iuxta domos easdem in
loco et solo infra illorum ambitum stante incluso adiacenti, domum
commodam pro receptione scholarium cum claustro rectorio, connexis
cantinis, capella, libraria et aliis necessariis officinis opere admodum
70 sumptuoso a fundamentis construi fecisti. Et ut in illis rector et scholares
reciperentur et collegialiter viverent (fol 36) iuxta dicti testatoris voluntatem,
procurasti ac nonnullas domos et alia bona quae emisti et emere intendit dicto
collegio largisti et illius fructus pro illorum fructibus pro decentiori
substantatione scholarium et servitorum eorumdem et aliorum onerum dicti
75 collegii supportatione augere intendis; ac sperans quod si domus praedictae
collegio contiguae, quas testator praefatus inhabitabat et in quibus collegium
praedictum ordinari voluit, ad illos qui nunc sunt et pro tempore erunt de
domo, familia et agnatione testatoris praefati et tua, iuxta ordinationem per te
desuper faciendam pervenirent et perpetuo pro illis conservarentur, id
80 cederet dicti collegii et illius iurium conservationem et augmentum. Nam qui
forent de familia et agnatione praedicta pro tempore et domos ipsas
obtinerent ad collegium ipsum et illius bona et iura dicti testatoris
conservatione et pro illius nominis et famae ac equidem familiae ex agnatione
huiusmodi tueri et defendere ac manutenere, verisimiliter pro posse
conservet nec praetermitterent illud quovis pacto extinguere et scholarium illius
85 numerum diminui et in illo alios quam scholares habitare ipsiusque collegii
rector et scholares metu et consideratione eorumdem et agnatorum, qui
domos ipsas habitarent, ex quibus ipsorum scholarium vita et mores
propterea facilius innotescerent honestiorem vitam ducere, literis et aliis
virtutibus vacare, ab illicitis ac bonorum ipsius collegii dissipatione
90 propensius studerent, rector quoque et collegium praefati et domibus et bonis
quae eidem collegio largiri intendis, non minorem quam et domibus
praedictis eidem collegio contiguis emolumenta perciperent et haberent et
aufferretur praelatis, quibus rector et collegium praefati eidem collegio
contiguas locaret pro tempore aliquas ex cameris et aliis officinis domus dicti
95 collegii pro sue familiae receptione domus occupare cupis, domos ipsas in
quibus cardinalis praefatus voluit collegium huiusmodi ordinari ad illos de
agnatione et familia testatoris et iuxta praedicta devenire et iuxta tuam
ordinationem desuper faciendam illam in communi (fol 37) pro indiviso
perpetuo possideri aut dividi, ita ut nulli eorum liceat eius portionem extra
100 familiam ipsam alienare. Nos igitur qui ea per quod collegiorum huiusmodi
presentium in Vrbe consistentius et in quibus utili literarum studio vacantes
nutriuntur statum augeri et conservari ac illorum desolationi et incommodis
obvianti prope speratur libenter intendimus ut teneamur quique domos in
quibus testator praefatus collegium ipsum ordinari mandavit et quas tu
105 postmodum iuxta illas de novo pro collegio praedicto a fundamentis construi
fecisti et illarum officinas saepius vidimus dum cardinalatus fungevamus
officio. Et antea de praemissis quae notoria sunt plenissime informati motu

110 proprio non ad tuam vel agnatorum tuorum aut alterius super hoc oblatae
petitionis instantiam sed de nostra mera deliberatione ac ex certa nostra
115 scientia, domos ipsas in quibus idem testator habitabat et collegium fieri
voluit, ut praefatus quoque pro earum ulteriori designatione et confines ac
earum verum valorem pro expresso habemus cum horto claustro et aliis
omnibus iuribus et pertinentiis suis ab aliis bonis dicti collegii, dividimus,
120 separamus et dismembramus ac de coetero non ad collegium praefatum sed
ad te quoad vixeris et te vita functo ad dictos illos de domo familia et
agnatione testatoris et tua praedictis quos duxeris nominandos et illorum
posterios et successores in perpetuum de eisdem domo et familia, dumtaxat
iuxta providam desuper per te faciendam ordinationem, volumus et
125 decernimus pleno iure pertinere et spectare, piamque testatoris praedicti
voluntatem praefatam quo ad hoc modo praedicto commutamus, districte
precipiendo mandantes rectori et scholaribus dicti collegii tunc ex tempore
existent., ne te et alios de domo familia et agnatione praefatis super domo
praefata illiusque iuribus et pertinentiis de coetero quoquo modo molestare
130 aut ingerere presumant, sed nostris commutationi, separationi et
dismembrationi ac voluntati acquiescant, habitoque exinde et qua habebunt a
te recompensa sint contenti. Ac decernentes ex nuncio irritum et inane si
secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter
contigerit attentanti et nihilominus ven. Fratibus **Esculan.** (fol. 38) et Reatin.
135 ac **Chemien.** episcopis per apostolica scripta motu simili mandamus,
quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel ad alium seu alios tibi et
agnatis de domo et familia praefatis super his efficacius defensionis presidio
///listenses, ac praemissa ubi quando et quoties fuerint super hoc pro tua vel
alterius eorum parte legitime requisiti solemniter publicantes, faciant te et
140 agnatos praefatos domorum huiusmodi in quibus testator predictus habitabat
iuriumque et pertinentiarum earumdem pacifica possessione gaudere, non
permittentes te vel illos super illis per rectorem et scholares praefatos aut
quoscumque alios quavis auctoritate indebite molestari. Contradictores per
censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato
145 etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstante testamento
predicto ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis
quibuscumque seu si rectori collegio et illius scholaribus praefatis vel
quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede apostolica indultum existat,
quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per litteras
150 apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de
indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostre divisionis, separationis, dismembrationis voluntatis,
constitutionis, commutationis, decreti et mandati infringere vel ei ausu
temerario contraire. Si quis sutem hoc attemptare presumpserit
indignationem omnipotentis Dei et BB Petri et Pauli apostolorum eius se
noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis

dominicae MCCCCLXXVIII, XVI Kal. Julii Pontificatus nostri anno VII. P. de
Valle, L. Grifus, visa Gortifiedus

3. Permutatio et Donatio Card. Angeli Capranica (iunio 1478?) (fol. 38-41))

155 Et quas quidem litteras apostolicas per me notarium infrascriptum, de verbo
ad verbum legi iussit, voluit et mandavit idem Rmus D. Cardinalis. Quibus
litteris apostolicis de verbo ad verbum ut prefertur perlectis, idem Rmus D.
Cardinalis literas ipsas et pontificis gratiam in eis contentam cum ea qua
debet reverentia acceptavit et praefatae permutationi, separationi et
160 dismembrationi consensit reverenter in omnibus et per omnia iuxta formam
in eisdem literis descriptam et annotatam sub eisdem modo et forma prout de
praesenti possidentur (fol. 39) a parte anteriori et posteriori dicti palatii et
prout de praesenti tenent et possident dicti rector et scholares eiusdem
Sapientiae. Vnde volens praedictus Rmus D. Cardinalis ad executionem
165 earundem litterarum apostolicarum et contentorum in eis quantum in eo est
procedere, deliberato animo ac sua voluntate, libera omnia iura sibi
quomodolibet competentia super dicto palatio Firmana Sapientia nuncupato,
bibliotheca et aliis membris et officinis, rebus, suppellectilibus ac bonis ibidem
existentibus, Domino Johanni de Capranica rectori eiusdem Sapientiae
170 praesenti et stipulanti pro dicto loco et scholaribus eiusdem nunc absentem et
mihi notario praesenti et stipulanti pro eisdem et pro omnibus aliis quorum
nunc interest, cessit transtulit et mandavit iure proprio et in perpetuum.
Quod palatium positum est in regione Columne infra hos fines cui ab uno
latere est prefatum palatium cum eodem palatio permutatum ab alio,
175 videlicet retro sunt res Bizocavum tertii ordini S. Francisci, a latere est via
publica, ante est platea S. Marie in Aquiro; vel si qui etiam nullum ius super
eisdem palatio et rebus quomodolibet reservavit nec non et acceptavit
contenta in dictis literis et maxime palatium in quo de presenti ipse d.
Cardinalis residet ex causa prefate permutationis. Et sic post ipsius obitum
180 declaravit ipsum palatium permutatum remanere debere, R.P.D. Hieronimo
episcopo Firmano, Johanni Baptistae et Paulo germanis fratribus filii
quondam Juliani de Capranica, eius fratris pro tertia parte; et pro alia tertia
parte R. P. D. Johanni Baptistae, protonotario apostolico et D. Nicolao
Stephano et Petro, germanis fratribus, filiis quondam Antonii, filii quondam
185 Johannis, fratris ipsius D. Cardinalis; et pro reliqua tertia parte Dominico et
Bartholomeo, germanis fratribus, filiis quondam Domini Agabiti, filii
quondam Bartholomei, fratris dicti domini Cardinalis; et deinceps eorum
posteris ex successionibus in perpetuum de eisdem domo et familia iuxta
formam et tenorem dictarum litterarum apostolicarum; et quod extra dictam
190 familiam dicte portiones alienari non possint prout in eisdem literis
continentur. Et pro decentiori sustentatione dicti rectoris et scholarium in dicta
Sapientia nunc et in posterum degentium et pro aliis necessariis in eodem
loco ex nunc (fol. 40) inter vivos irrevocabiliter donavit, dedit, cessit et
concessit, transtulit et mandavit iure proprio et in perpetuum dictis loco
195 Sapientiae et rectori et scholaribus prefatis. Et mihi notario etiam presentibus
ut supra stipulantibus infrascriptas domos videlicet quandam domum seu

accasamenta terrinea, solarata et tegulata cum solis, cameris, tinellis, stabulis,
renclaustro, horto et aliis eius membris sitam et sita in regione Pinee in
parochia S. Stephani de Cacco, infra hos fines, quibus ab uno latere sunt res
200 DD. religiosarum de Venetiis, a latere et ante sunt vie publice, retro sunt res
Mariani Vari et res dictarum religiosarum.
Item et quandam aliam domum terrineam et solaratam, positam in regione
Pontis, in parochia S. Celsi infra hos fines, cui ab uno latere et ante via
publica, ab alio res Pauli Benedicti dello Mastro, ab alio hortus D. Antonii de
205 Moncia.
Item et quandam aliam domum terrineam, solaratam et tegulatam, positam in
regione Parionis, in parochia S. Laurentii in Damaso, infra hos fines cui ante
est via publica, ab alio domus Ioannis Jacobi... (sic), ab alio res Hieronymi et
Pauli de Alexiis, a parte posteriori res Juliani de Cardellis.
210 Item quandam aliam domum cum furno sitam in regione Pontis, in parochia
S. Simeonis, infra hos fines, cui ante est via publica, ab alio res Eregonii Pauli
Vanni, ab alio res Florutii, ab alio res Marchi Casalis, retro via publica, ab alio
res Philippi Johannis Teutonici vel si qui **etiam** ad habendum, tenendum,
possidendum, utendum, fruendum, vendendum, alienandum et de eis aut
215 altera ipsarum faciendum et disponendum, prout eis a iure permittitur.
Item eodem titulo prefatus Rmus D. Cardinalis donavit eisdem omnia iura,
nomina et actiones, reales et personales, quae, quas et quod prefatus D.
Cardinalis habet et ei competunt habere et ei competere possunt, nunc et in
futurum, in eo super prefatis domibus, nullo iure nullaque actione dicte
220 donationi in et super prefatis domibus aut altera ipsarum quomodolibet
reservari volens et mandans quod dictus rector et scholares prefati iuribus
etiam agant, petant cum illis iuribus, cum quibus prefatus donator agere seu
petere. Et in predictis eosdem donatarios veros dominos et patronos constituit
in locum, ius et privilegium ipsius posuit et immisit et dedit potestatem
225 eisdem aut altero ipsorum possessionem dictarum domorum, propria eorum
aut alterius ipsorum auctoritate, (**fol. 41**) capiendi, apprehendendi et
retinendi. Et donec vacuam, tenutam et corporalem possessionem dictarum
domorum adepti fuerint, constituit se dictus donator dictas domos nomine
ipsorum donatariorum tenere et possidere. Et predicta omnia et singula, sic ut
230 premittitur, lecta, recitata et gesta, prefatus Rmus D. Cardinalis nobilibus viris
Stephano Francisci de Crescentiis de regione Columna et Marcello
Caputferreo de regione Arenulae, guardianis hospitalis imaginis Salvatoris ad
Sancta Sanctorum de Vrbe, cum infrascriptis de dicta societate videlicet Petro
de Marganis, Paulo de Rusticis, Petro de Lenis et Bernardo de Ritiis ibidem
235 presentibus audientibus et intelligentibus, notificavit et insinuavit. Qui
quidem DD. guardiani ac rector prefate Sapientiae habito inter se et cum
dictis civibus colloquio, considerantes prefatam permutationem et omnia
predicta cedere in evidentiam ipsius Sapientiae rectoris et scholarium
eiusdem utilitatem ex omni parte, prout aperte, notorie et manifeste colligitur
240 et per evidentiam ad sensum et oculum demonstratur et percipitur

permutationem, dismembrationem et ordinationem et omnia inde secuta tam
in dictis literis quam per eundem Rmum D, Cardinalem facta et factas,
quantum mei est et aliquo meliori modo et forma, quibus fieri potest,
245 predictis omnibus et singulis, sic ut premittitur, premissis, gestis et factis,
consenserunt et assenserunt. Et insuper gratias egerunt sanctissimo domino
nostro pape predicto et prefato Rmo D. Cardinali, quod ita liberaliter et
generose providerunt circa conservationem perpetuam et augmentum et
redditum ipsius Sapientiae. Nichilominus praefati guardiani iura omnia et
250 preminentiam ipsi hopsitali et societati eisdem quomodolibet competentia ex
ordinatione testamentaria, dicti olim D. Cardinalis Firmani primi fundatoris
super dicto palatio permutato et in familia de Capranica translato, ut
praemittitur, supra dicto loco Sapientiae permutato, specialiter et generaliter
reservaverunt. Quamquidem donationem praefatus dominus Cardinalis
255 promisit non revocare nec revocare volenti consentire, quavis ex causa vel
occasione. Et praefatus dominus Cardinalis et omnes supra nominati pro
eorum et dictae Sapientiae interesse rogaverunt me notarium infrascriptum ut
de praedictis publicum conficerem instrumentum.
Actum Romae, in Regione Columne, in Camera palatii prefati Rmi D.
Cardinalis, presentibus et intelligentibus his testibus, uidelicet r.p.d.
260 Dominico episcopo Reatino et r.p.d. Johanne Baptista de Sabello, protonotario
apostolico et d. Baptista de Benedictis doctore et aduocato concistoriali
testibus et ego etc.

4. Divisio in tres partes permutationis et donationis diei 20.12.1478 (fol. 42-47)

265

(fol. 42) Ex Arch. Incoron. Justorum J. III. pag. 158

270

In nomine Domini amen. Eiusdem MCCCLXXVIII, pontificatus Ssmi. in Christo Patris et D.N. D. Xysti, diuina prouidentia pape quarti, indictione xii, mensis decembris die xix, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum

275

ad hoc specialiter uocatorum et rogatorum. Cum hoc fuerit et sit quod dum bo. me. Rmus D. Cardinalis Angelus, episcopus Prenestinus, tituli S. Crucis in Hierusalem S.R. E. cardinalis, dum in humanis vixit donauit, post eius mortem, virtute litterarum apostolicarum prefati SS.mi D. N. desuper concessarum pro corroboratione et firmatione ipsius donationis et

280

infrascriptae partes assueverunt quondam Rev.do in Xto Patri D, Hieronymo episcopo Firmano, Johanni Baptistae dudum Protonotario apostolico et ad praesens episcopo Firmano, D. Stephano, D. Nicolao et Petro, eiusdem domini episcopi Firmani germanis fratribus, filiis et heredibus quondam Antonii, Johannis de Capranica, nepotis dicti olim R.mi cardinalis; ac et

285

Dominico et Bartholomeo, filiis et heredibus quondam domini Agabiti de Capranica et nepotis dicti quondam Rmi Domini Cardinalis, idest domos et accsamenta cum orto et aliis suis membris, iurisdictionibus in quibus dictus olim D. cardinalis habitabat positas et posita in Regione Columnae, quibus ab uno latere tenet et est domus magna gentibus barbitonsoribus, ab alio est

290

domus scholarium nominata la Sapienza, ante est platea et ab omnibus aliis lateribus sunt vie publice vel si qui alii sunt vel esse possunt plures aut veriores confines antiqui vel moderni, prout vocabula veriora, ad dictas domos spectantia ac pertinentia tam de iure quam de consuetudine. Et dictas domos et accasamenta dictus Rmus D. Cardinalis dictis omnibus heredibus donaverit et reliquerit communiter et pro indiviso, prout de dicta donatione asseruerunt constare publico instrumento manu Johannis de Signoribus

295

publici notarii civis Romani rogato. Et velint dicti domini Johannes Baptista, episcopus Firmanus, D. Stephanus. D. Nicolaus et Petrus germani fratres, filii et (fol. 43) heredes quondam Antonii eorum patris, omnes presentes et acceptantes ex una; et Johannes Baptista et Paulus, similiter germani fratres filii et heredes dicti quondam Juliani de Capranica, eorum patris ac etiam heredes dicti quondam Hieronymi, dudum episcopi Firmani eorum germani, similiter presentes et acceptantes ex alia; ac etiam D. Margarita, uxor dicti quondam Agabiti de Capranica, mater et tutrix ac legitima administratrix

300

prefatorum Dominici et Bartholomei, eius et dicti quondam Agabiti communium filiorum, presens et acceptans nomine dictorum eius filiorum, pro quibus de rato et ratihabitione promisit et se facturam et curaturam, ita ut taliter et cum effectu quod dicti eius filii omnia et singula supradicta et infrascripta, tempore eorum maioris etatis, rata, grata et firma habebunt et

305

contra non facient, dicent vel venient aliqua ratione eorum minoris etatis; et quod restitutiones in integrum non posse adversus infrascripta et subscripta;

et que D. Margarita, quantum ad hoc, tenetur auxilio Vellejani Senatus
Consulti authentice ex qua mulier Legi Julie de fundo dotali ceterisque aliis
exceptionibus et privilegiis in favorem mulierum introductis certiorata potius
310 per me notarium de dictis iuribus, auxilio et authentica **reputatio** quid sint,
quid dicunt, quid importent. Et eorum effectu parte et alia unanimiter et
concorditer habito desuper tractatu pro medio et persona R.P.D. episcopi
Reatini, D. Leonardi de Perusia, ordinis predicatorum Gen. Magistri et D.
315 Antonii de Forolivio, Camerae Apostolicae clerci, paterno affectu gerentis
venerunt ad infrascriptam divisionem et spartimentum dictarum domorum et
accasamentorum, in eo quod commune est ad hoc, ut dicte partes possint
pacifice possidere pro diviso, frui gaudereque portione eis tangente; et ne in
futurum ratione communionis inter eas aliquando scandalum exoriri possit.
Idcirco unanimiter et concorditer et sponte et ex certa eorum et cuiusque
320 ipsorum libera propria et spontanea voluntate et non per errorem, dicti
omnes heredes inter se alternative et vicissim supra singula singulis congrue
referendo dictas domos et accasamenta, ut supra positas et confintas ac posita
et confinata, diviserunt inter eos in tribus partibus et in hunc modum et
formam que sequitur, videlicet:
325 **(fol.44)** quod pars domus in qua erat camera et habitatio prefati Rmi D.
Cardinalis existens a parte anteriori ab infimis terris usque ad coelum cum
omnibus suis membris, cameris, reclausuris, hortis et quicquid in ea parte est
cum trullo rotundo in hac parte existente, cum medietate curie seu cortilis ubi
erant pulli, scilicet quantum tendunt et protrahunt parietes et muri dicte
330 partis sive habitationis aut minus esset medietatibus cum omnibus partibus et
muris dicte partis liberas nec non quod supra caput scalarum videlicet supra
modum sive lodium positum in capite dictarum scalarum, quantum dictum
lodium extendit, tam supra porticum sive ambitum, iuxta primum introitum
partis superioris dicti lodii, positum in capite scalarum quantum quantum se
335 extendit usque in cameram existentem ante primam salam magnam; et a
clausura stabulorum existente supra exitum dicti ambitu contigua menio
usque ad parietem prime sale dicte partis, similiter sit et esse debeat DD.
Johannis Baptiste et Pauli, nec non cum toto stabulo quod olim fuit magistri
Jacobi cimatoris, ante quod est puteus in via publica cum iurisdictione et
340 conditione, quod si voluerit in ea edificare et extollere sive alzare ad
altitudinem dicte maioris domus sive in parte sive ultra, quod possit uti muro
dicte maioris domus, ita et taliter quod dicte partes sit et habeatur pro
communi inter ipsam partem et aliam infrascriptam et hec sit et esse debeat.
Et ita voluerunt omnes unanimiter et concorditer presentes et consentientes et
345 acceptantes pars DD. Johannis Baptiste et Pauli filiorum et heredum dicti
quondam Juliani de Capranica eorum partis et D. Hieronymi eorum fratris
presentium consententium et acceptantium.
Secunda autem pars sit et esse debeat infrascripta, videlicet a dicto stabulo
quod fuit Jacobi cimatori et quod venit a parte DD. Johanni Baptiste et Pauli
350 ut supra usque ad primam aulam maiorem exclusive, a terra usque ad

cacumen et versus coelum cum omnibus suis membris, aulis, cameris, tinellis et aliis rebus et locis in eis existentibus, excepta prima cantina sive camera desuper, idest a curia sive cortile cisternae usque ad stradam ut iacet eorum alia media curia sive cortile pullorum, scilicet versus dictam primam partem et cum stabulo, quod alias fuit emptum a magistro Juliano Angelini, idest illud quod est prope dictum cortile cum parte loci directi de directo prout iacet sive cupit et hoc sit et (fol. 45) esse debeat. Et ita esse voluerunt omnes unanimiter et concorditer presentes, consentientes et acceptantes pars DD. dominorum Joh. Baptistae episcopi Firmani, D. Stephani (In margine: Cinquini praetendunt descendere et habere causam a Claudia et Gentilesca filiabus infrascripti Stephani Capranica) D. Nicolai et Petri germanorum fratrum et filiorum et heredum dicti quondam Antonii de Capranica presentium consententium et acceptantium.

Tertia autem pars sit et esse debeat, hec videlicet prima aula, que est maior, cum tribus cameris quas capit dicta aula et tantum de primo ambitu desuper quantum extendunt sive per directum iacent dicte camere aut quantum in presentiarum est clausum et a dicta aula inclusive usque ad angulum dicte domus versus domos magnifici D. Scannelli, similiter a terra usque ad coelum et quantum extenditur a cortili collegii scholarium et domus Sapientiae usque ad plateam, excepta cappella domus dicti collegii et introitu domus dicti collegii; et cum cantina sive camera superiore et cum cameris duabus existentibus subtus scalam et cum stabulo, quod alias fuit emptum a magistro Juliano, idest illud quod est versus furnum ipsius cum parte detecta sive deiecta, prout extenditur; et hoc sit et esse debeat. Et ita esse voluerunt omnes unanimiter et concorditer presentes, consentientes et acceptantes DD. Bartholomei et Dominici filiorum et heredum d. quondam Agabiti, d. domina Margarita eorum nomine presente et consentiente et acceptante et promittente de rato ut supra.

Item voluerunt et convenerunt ad invicem presentes et acceptantes ut supra solemniter ex legitima stipulatione interveniente, quod primus ambitus sive lodium ante introitum dictorum domorum partis inferioris et introitus prefate domu scala magna, per quam ascenditur ad dictas partes et lodium a capite scarum et primus ambitus partis superioris iuxta reclaustrum ubi est cisterna usque ad cameram existentem ante dictam primam aulam magnam cortile sive reclaustrum cum cisterna, sint et esse debeant communes et communia inter omnes dictas partes et communiter uti possint et valeant.

Item similiter voluerunt et convenerunt quod de primo introitu, qui venit et est sub aula magna, non possit mutari nec restringi per aliquem ex dictis partibus nisi a columna versus coquinam et non ultra pars DD. Dominicum et Bartholomeum; alia vero pars dicti introitus remaneat aperta pro (fol. 46) transitu necessario communi omnibus dictis partibus. Et quod murus fiendus pro clausura a columna ante coquinam et pro clausura horti praedictae scalae versus collegium fiat communiter. Et communibus impensis removeantur signum Salvatoris existens in parte anteriori, videlicet in muro dictarum

395 domorum et reponatur in domibus et portione domorum solarium sive
Sapientia. Et similiter convenerunt quod fiat murus divisionis in claustro ubi
erant pulli, quod venit in portionem DD. Joh. Baptistae et Pauli pro medietate
et pro alia DD. Domini episcopi et fratrum communiter et communibus
impensis dictarum duarum partium tantum.. Item similiter voluerunt et
400 convenerunt quod per aliquem ex DD. partibus non possit vendi, alienari,
pignori donari nec alteri **coram** dicta domus vel pars ipsius vel illa, quae
sunt infra clausuram dictae domus aliis personis quam de familia praefatae
domus de Capranica. Et quod dicta stabula non intelligantur infra dictam
clausuram. Quae si eveniret quod aliqua partium velit vendere partem suam,
405 teneatur vendere alteri parti, si velit emere. Sin minus, casu quo nollet emere,
quod possit vendere alteri. Et ita dictas domos ac omnia praedicta diviserunt
et fecerunt omnibus meliori modo in causa et forma, quibus melius potuerunt
et debuerunt. Et **dictu** dictum pavementum et divisionem et omnia supra et
infrascripta promiserunt dicte partes ad invicem, una alteri et altera alteri,
410 presentes, recipientes et legitime stipulantes pro se ipsis et ipsorum heredibus
et successoribus. Et me, notarium ut publicam personam presentem
recipientem et legitime stipulantem pro eis et eorum heredibus et omnium
aliorum quorum nunc interesse venerit vel interesse possit quomodolibet in
futurum sese perpetuo habere ratum et firmum ac rata et firma et contra non
415 facere, dicere vel venire aliqua ratione, modo, iure, titulo sive causa. Et pro
quibus omnibus et singulis observandis et formiter adimplendis dicte partes
ad invicem, una alteri et altera alteri, obligavit sese ac omnia et singula eorum
et cuiuscumque ipsorum bona, presentia et futura. Et voluerunt pro predictis
posse cogi, compelli, constringi et conveniri omni tempore et in qualibet
420 curia, coram quocumque iudice, auditore, pretore, gubernatore, senatore,
legato vel subdelegato, diebus feriatis et non feriatis. Quibus feriis et feriatis
diebus ac beneficio fori renunciaverunt. Expresse renunciaverunt et omnibus
et singulis legibus et auxiliis, **fol. 47**) exceptionibus et privilegiis, statutis,
consuetudinibus, quibus possunt sese quomodolibet tueri aut defendere.
425 Presertim D.D. episcopus et D. Nicolaus eius frater et Dominicus predictus,
omnibus privilegiis civilibus et canonicis et favoribus in favorem clericorum
et praefatorum indultis ad maiorem roboris firmitatem intraverunt ad sancta
Dei evangelia, tactis per eis sacrosanctis scripturis, in manibus mei notarii
infrascripti, prefata omnia et singula semper et perpenso attendere et
430 observare, ratam, gratam et firmam habere et tenere et in nullo contradicere
vel venire aliqua ratione, iure, modo, titulo sive causa sub hypotheca et
obligatione, praedicta et dicta per eos praestiti instrumenti. Et rogaverunt me
notarium infrascriptum ut de prefatis publicum conficerem instrumentum,
unum vel plura prout expediens fuerit.

435

Actum Romae in Regione Columnae, in camera domus solite habitationis r.p.d.
episcopi Reatini, existente in dictis domibus, videlicet a parte que evenit dd.
Dominico et Bartholomeo filiis et heredibus quondam D. Agabiti, presentibus

- audientibus et intelligentibus his testibus, uidelicet eximiis doctoribus D.
- 440 Johanne de **Suantini** de Capranica, D. Angelo de Civitate Castellana, magistro Jacobo Dominico, artium et medecinae doctore; et spectabilibus viris Jacobo Laurentii Stati, de regione Columnae et Bernardino de Caputgallii, de regione Trivii ad praedicta habitis, vocatis atque rogatis.
- 445 Ego Paulus de Pusanis de Capranica, publicus, apostolica et imperiali autoritatibus, notarius, quia praemissis omnibus dum sicut premittitur fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus presens fui et rogatus scribere scripsi et publicavi signumque meum apposui solitum et consuetum.